



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pepagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

Vorwort

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**



**D**VOS de re accipitraria libros Gracos  
Latine ut eleganter , sic prælicenter  
vertit Petrus Gillius , ambosque De-  
metrij nomine inscripsit : quum tamen  
ipse in codice quem bibliotheca regia dicauit , se-  
cundū librum duriorem esse iudicauerit . Quod  
viri non solum Gracarum Latinarumq. litera-  
rum , sed & historia naturalis peritiissimi iudi-  
cium , quum sit verissimum , eo confidentius pronū-  
tiabimus , alterum illum librum longe dissimilem  
esse primo , nec eodem elaboratum ingenio : imo  
tam liquido nobis constare non esse unū utriusq.  
auctorem , quam in dubio est , an alteruter De-  
metrio sit tribuendus . etenim exemplar , quod  
nobis è bibliotheca regia deprompsimus , nullum  
auctoris præ se fert titulum , sed tantum operis  
& quidem simplicissimum , Εἰσλογίας Σφικτής .  
ut vero simile fiat , idem in hisce scriptis conti-  
gisse , quod hippiatricis atque etiam geponicis  
accidisse videmus : ex varijs scilicet variorum  
scriptorum sententijs collectitium librum exti-  
tisse ; nullius auctoris , nisi forte illius qui collegit ,  
nomine nuncupandum . quamuis & hoc nobis

é iij

etiam ambiguum diuersorum collectiones effe-  
cerint . nam ecce libros viginti geoponicorum  
Cassiano Bassō , ad quem Hierocles mulomedicus  
scripsit , plerique viri doctissimi tribuunt : &  
tamen totidem libros à Vindanio Anatolio  
Beryto collectos se legisse tradidit Photius . rursus  
in illa ipsa collectione & Vindani & Anatoli  
& Beryti georgicas obseruationes plerisq. locis in-  
sertas animaduertere est ; ut iam ij non inter col-  
lectionum artifices , sed inter auctores censendi  
sint . deniq. quum nihil non sibi permiserit lit-  
terata Gracorum natio , mittamus curiosam  
istam disquisitionem ; deq. auctorum nominibus  
parum solliciti , nobiles ingeniorum una cum  
imperio deficientium reliquias , quasi optimi  
vini poscam , si frugi sumus , non usqueaque  
fastidiamus .